

## HENRICI *Zutphanienſis* Propoſitiones

A. 1521. in Academia  
Witebergenſi ventilatæ.

**D**E HENRICO ZUTPHANIENSI Evangelii apud Antverpienſes & deinceps Bremenſes & Dithmarſos Confeſſore atque Martyre, in ipſo Opere ſ. X. quædam commemoravimus, quibus nunc ſolummodò, antequam ejus *Propoſitiones* jam A. 1521. in Academia Witebergenſi ventilatas exhibeamus, addimus ſingularem ejus Epiſtolam, Bremâ A. 1522. ſcriptam ad *Jacobum Spreng* dictum Yprenſem, qui itidem apud Antverpienſes quod in Opere vidimus incarceratus fuerat, & ad Patrem *Reynerum* quem Patrem ſuum in Chriſto appellat; Eam ex MSS. Spalatiſiano omnium primò edidit Cl. KAPPIUS in ſpicilegio P. II. pag. 550. ſq. unde eam admodum mendoſè licet deſcriptam depromere propter rei memoriam voluimus: Ea ita ſe habet:

„ Chriſtus vivit, Chriſtus vicit, Chriſtus imperat. *Quem admodum Antverpiam exierim, jam olim audiviſtis, Venerabiles & chariſſimi patres.* Invenit enim impiiſſima Iſabel, avaritia tabeſcens, ſuos falſos teſtes, filios Belial, qui dixerunt, ſe audiviſſe de ore meo verba heretica, & piarum aurium offenſiva, unde occaſionem querens contra - - - (quippe noluerunt illius avaritiam explere) moliebatur in ſeditionem vertere civitatem: ut ſic liceret, quantum voluiſſet auri pro punitione extorquere, ſed præcavit omnia Deus, ne quid ageretur a civibus tumultuoſius, quam prudentius, quantiscunque violentiis ad hoc provocatis. Primum enim a Monachis & Belis ſacerdotibus inducta me comprehendi fecit, ipſo die Sancti Michaëlis, ex quo noctu fueram educendus & Bruxellas deducendus: nam jam hoc arreſtato & per magiſtrum fratrem *de Hulſt* carcere preparato: ſed quod conſilium que ſciam, contra - - - : veſpere, dum ſol occubuiſ-

„ fet, irruerunt in monasterium, quo detinebar, aliquot mu-  
 „ lierum milia concurrentibus simul viris, & ruptis foribus  
 „ eductum me restituerunt fratribus meis, cum quibus egi tri-  
 „ duo: sed quoniam denuo a fratribus sequente diligentissimo  
 „ scrutinio fui requisitus, & omnes fratres similiter adiurati, ut  
 „ me proderent, si qui scissent, quo loco essem absconditus,  
 „ (sedebam enim casu in domo armtaes) non audebant me fra-  
 „ tres secum retinere: exhortantibus ergo fratribus Christianis  
 „ scripte sunt amicis. Wittebergam cepi adire per Hollandiam  
 „ & Westphaliam fratres salutando: vix tamen *Enchusen* exie-  
 „ ram, & ecce post me scripte sunt literae, mandantes consula-  
 „ tui & priori, ut vinctum me perducerent Amstelodamum ad  
 „ praesentiam ducis Margarete. Amsteliedami adhuc eram, dum  
 „ hoc mihi innotuit: benedicetur autem Dominus, qui non  
 „ tradidit in manus impiorum. *Zutphani* quoque iussus sum si-  
 „ stere tribunalibus accusatus a minoribus, quasi nove atque  
 „ iam doctrinae damnatae seminator: ubi dum interrogabar, quis  
 „ essem, unde venirem, & quo proficiscerer, respondi, ut res  
 „ habuit: Interrogant num ad predicandum illuc venissem: dixi  
 „ me neque missum, neque vocatum ad evangelicum munus  
 „ apud se suscipiendum, vere tamen si placuerit eis, libenter  
 „ me functionem illam subiturum: dimiserunt ergo me, se pe-  
 „ nis interminantes, ne cui loquerer de hac doctrina: respondi:  
 „ non vocatus vel petitus non predicabo: postea veni *Bremas*,  
 „ nihil minus suspicatus, quam a me postulare verbum. In-  
 „ notui tamen civibus aliquot charitatis, quibus sermonem a  
 „ me petentibus non potui non obtemperare. Dominica die au-  
 „ tem *Martini* verbo per me evangelizato, citor a magistratu  
 „ civitatis, & canonicis interrogantibus, cur & quid ante pre-  
 „ dicassem, respondi quoniam petitur, & quoniam verbum Dei  
 „ non esset alligatum, multa deinde sursum deorsumque versan-  
 „ tes, auctoritate presulis & sua, interdixerunt mihi sermones,  
 „ sed ubi respondissem, oportere me Deo plus obedire quam  
 „ hominibus: a consulatu petunt repulsionem meam fieri, qui  
 „ responderunt, se neque precepisse, neque prohibituros me  
 „ unquam. Causa devolvitur ad Episcopum (interim ego sermo-  
 „ „ nem

„ nem continuans — — — ) convocantur nobiles & præ-  
 „ lati diocesium duarum ad Bremas: qui mittentes ad magistra-  
 „ tum & per oratorem suum primo deinde per suffraganeum  
 „ domini Bremensis: Nam exaggerantes postulant & sub hu-  
 „ mano jurejurando exigunt me tradi in manus Episcopi, vo-  
 „ cantes civium capita & artificum prepositos, ut votis presu-  
 „ lis subscribant: Respondent omnes, preter evangelium se ni-  
 „ hil a me audivisse, nec me dedituros, priusquam palam vi-  
 „ derint de errore convictum. Mitissime post hoc Pretulis ege-  
 „ runt legati, & non parum favere veritati nonnullis videban-  
 „ tur, de quo mihi non constat quicquam: *In domino enim con-*  
 „ *fido, non timebo, quid faciat mihi homo:* Spero, brevi te quo-  
 „ que, charissime *Jacobe*, vocandum ad evangelizandum, sal-  
 „ tem indefinenter orate pro verbi incremento, ego Bremas  
 „ non deseram, nisi violenter expulsus. Fiat voluntas Domini,  
 „ cujus manum sentio mecum semper propitiam. Venit ex  
 „ Hantverpia postridie civis quidam Bronien, qui dixit, prin-  
 „ cipem *Margaretam* citatam esse ad imperatorem, accusatam cru-  
 „ delitatis & avaricie per curie Holandie ac Brabantie rectores,  
 „ Item quod omnes fratres domus nostre ducti fuerant ad *Vil-*  
 „ *uordam*, quorum pars dimissa est ad *Dordracum*, pars in li-  
 „ bertatem ire, quo voluisset, qui dicuntur *Wittenbergam* ven-  
 „ turi: pars autem sua sponte remansisse: nec velle dimitti, do-  
 „ nec doceat, quare tam turpissime tanquam latrones sint de-  
 „ ducti. Valete & pro me orate: Salutant te, *Jacobe*, fratres  
 „ omnes in Bremis *Dirich Vassmern*, *Henrich Erickrel*. Saluta-  
 „ te & vos venerabiles patres *Priorem*, *Baccalaurios*, *Lectorem*,  
 „ *Johan. Petschenstein* & omnes meos. Datum in Bremis anno  
 „ 1522. in vigilia *Andreæ*.

„ Diligentissime agatis, ut nostre res  
 „ mittantur per *Brunonem* vel  
 „ presentium exhibitorem.

Quod verò ad has *Propositiones* ejus adtinet, in Opere jam  
 vidimus, eum apud *Witebergenses Baccalauri* quem vocant *Theo-*  
*logiæ* honores adeptum fuisse, atque tum has ipsas *Theses* (quas  
*Buxtehudano* deinceps, & sui equidem condemnandi causa co-  
 acto,